

modi victoria laudabili (nobis & sacro Imperio obtenta) maximè exultantes, ad propria cum gaudio remearunt. Item cum aduenæ Romani, mandatis nostris obedire contemnerent, & quadam iura in Imperij præiudicium, & grauamen nostrum sibi usurparent, & nos auxilium fidelium Imperij ad resistendum eorum iniuriis inuocassemus, id quamprimum dicti Frisones intellexissent, non vocati à nobis, de suo libero arbitrio, & voluntate spontanea, cum multitudine copiosa in subsidium nostrum venerunt, & ab exercitu nostro se separantes, in Romanos (qui per suam superbiam ultra pontem Milinens. nostro exercitui occurrerunt) potenti virtute irruentes (quam plurimis ex utraque parte interfectis) eosdem euerunt, & per nobiles Romanos, quos tunc post tempus conflictus ceperant, nobis Romam subiugarunt.

Nos itaque considerata horum Frisionum fidelitate, dexteritate & audacia, attendentes etiam fidele obsequium eorum quod Imperio & nobis, in diuersis eorum argumentis, quàm creberrime exhibuerunt, de consueta Regia Maiestatis benignitate, ipsis Frisonibus & imperio fidelibus, gratiam volentes facere specialem, de consilio fidelium nostrorum, accedente etiam ad id Principum imperij consensu, tributum à Cesare Augusto statutum (videlicet viginti libras auri, quas nobis & præcessoribus nostris singulis annis pendere, & exhibere consueuerunt) remisimus. Ita quod neque nos, neque successores nostri, id ab ipsis vel eorum hæredibus de cætero requiremus, vel aliquas exactiones in ipsos faciemus. Præterea auctoritate Regia indulgimus eisdem, ut cum omni sua prole nata vel nascitura in perpetuum liberi permaneant, & à seruitute proprietaria penitus sint absoluti. Statuimus etiam, ne quis eis dominetur, nisi sit ex eorum voluntate, & consensu, & ne iudicibus & iure videantur carere, statuimus, ut ex suis eligant consules, quotquot viderint sibi expedire, qui in causis secularibus, de quibus ipsis quæstio mota fuerit, iudices existant. Statuimus etiam ut eosdem Consules singulis annis secundum consuetudinem Romanam eligant, personas idoneas & discretas, sub quarum regimine, dominio & gubernatione, Frisia sit constituta, & subiecta, in omnibus & per omnia, tanquam suo vero Domino, (iuxta terminum sibi ab ipsis) teneantur obedire: quæ Persona potestas Frisia ab omnibus debet appellari. Insuper statuimus, ut si qui ex ipsis sustentationem habuerint, vel militare voluerint, data potestas eis gladium circumcingat, & dato eisdem sicut consuetudinis est manu colapso, sic milites faciat, eisdemque firmiter iniungendo præcipiat, ut deinceps more militum sacri Imperij, aut regni Franciæ armati incedant, eo quòd consideramus, si prædicti Frisones (secundum staturam corporis & formam eis à Deo & natura datam) sic militauerint, cunctos in orbe terrarum  
milites,